ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hagae prid. Kal. Sept. CIƆIƆCLXXX.

Meâ, fateor, culpâ factum est, Amicorum doctissime et clariss.e quod Vianae cum non liceret nisi horulam commorari, totam Aulae istic Vestrae aedes impenderem, ipsi [illegible] properaverim et insalutato: neque invenio quo me purgem, nisi quod ab humanitate Illustris Feminae vix me ~~te~~ evellere potui ante quam ipsa Vespera moneret discedendum esse, et quod restabat itineris conficiendum ante Solis occasum.

De conferendis Epistolis Vincentij Fabricij ad me scriptis quod mones, ajo, nihil me lubentius facere quam viris probis et eruditis gratificari, et in iis libris maximè quae ad ornatum rei Literariae spectant. Sex omnino sunt, ni fallor, quas accepi ab illo nunquam mihi de facie noto illustri amico. et eas accuratè descriptas dabo. Marci Velseri ad Lipsium credo ad Vicinas esse, quibus describendis si quis ab illius viri Heredibus destinatur qui id inter parietes meos exequatur, fiet ei et loci et voluminum, quae collegi, copia quantam volet. Vale Vir summe, et amiciss. nec unquam desine me amare. Non desines certè, si satis noveris quanti sis apud

Tuum totum

C. Hugenium.

De colligendis et vulgandis magni Parentis tui Epistolis nunquam cogitabis φίλε κάρα;

Burm. F. 6 a

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BURF F 6 a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7155

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BURF F 6 a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7155

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BURF F 6 a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7155

Mijnheere

Mijnheere Nicolaus Heinsius

tot

Jt. betaelt tot Utrecht. Vianen

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BURF F 6 a
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7155